



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Conscientia rea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

vinam Majestatem affectans, Jovis statuae caput suum imposuit, poenaeque dedit triginta vulneribus confossus. Atque ut minora majoribus immisceamus, vidimus, inquit Author Ruinarum illust. dec. 3. vindictam divinam in homine fortis plebeiae, sed animi fastuosi, quem Sextilis mensis ardentissimo tonante caelo, fama fuerat exonerato sclopò, cum nubium voluisse fragoribus atque flammis, artis humanae bombis, & ignium imitamento contendere. Sed inter ipsa poenè coepta, petulantis in caput elisum ex alto fulmen, docuit; quanto verius, certiusque flamma supera, quam humo producta, ferire posset. Nunc ad Tityum, portentosam Telluris prolem, oculos pedesque cum Aenea transferamus.

## II.

*Tityi, gigantis impii, vultur.*

## Ethicè.

Conscientia rea.

DE hoc Virgilius lib. cit.

Nec non & Tityon Terræ omniparentis alumnum  
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus  
Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco  
Immortale jecur tundens, foecundaque poenis  
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto  
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Quemadmodum Prometheus, ob ignem à Solis rota subtractum & terris illatum, Caucaso monti alligatus, ejusque cor aquilæ perpetuo exedendum, fuisse subjectum traditur; sic de Tityo gigante habent fabulæ, eum, cum insaniam amoris captus, Latonam de stupro interpellasset, ab Apolline Latonæ filio, sagittis confixum, atque ad inferos damnatum fuisse, hæc poena, ut viscera ejus assiduo morfu *Vultur* carperet, renascente quotidie ad pabulum jecore, ita neutri quies concessa est, vulturi à laceratione, Tityro à doloribus.

## Ethica.

(a) Explicat hanc fabulam Macrobius apud Ciceronem l. 1. de somnio Scipionis, cap. 10. vulturem, inquit, jecur immortale tundentem,

(a) Conscientia rea.

rem, nihil aliud intelligi voluerunt, quam tormenta mala conscientiae obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefensa admissi sceleris admonitione laniantis, & semperque curas (si requiescere forte tentaverint) excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis; lege hac, quâ se iudice nemo nocens absolvitur, nec de se potest suam vitare sententiam. Itaque quisquis in furto Prometheus, in adulterio Tityum, in aliis sceleribus alios scelestos sequitur, opus est, vulturem, aquilam, suam scilicet conscientiam patiat, carnificem nunquam moriturum. Nec immeritò Poëta viscera vocat *fecunda pœnis*; Quia *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Isa. 66. Nunquam non fodiet hæc aquila, nunquam non lacerabit hic vultur. Et observant Docti phrasin Maronis: *Immortale jecur tundens*: cur jecur? quia in eo sedes amoris & libidinis. Scilicet in quo quis peccavit, in eo punietur. Horat. lib. 4. Od. 3.

Incontinentis nec Tityi jecur  
Reliquit ales, nequitiae additus  
Custos.

Ubi per nequitiam *Intemperantia* & *Libido* significatur, cui suus apud inferos tortor additus, hoc est, affixus atque semper infestus est; nempe recordatio impuritatum commissarum. Graviter Doctor mellifluis in lib. de anima. c. 3. Extorres Cælo in carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiae vermem. Ibi dolor intolerabilis, timor horribilis, foetor incomparabilis, mors animæ & corporis sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant; & sic vivent, ut semper moriantur.

## III.

*Ixionis rota.* Ex Virg. & Ovid.

## Ethicè.

Umbra voluptatis multos decipit.

Sibyllæ & Ænæ per inferorum loca euntibus incurrebat etiam in aspectum *Ixion*, Rex olim Thessaliæ, qui quòd Junoni flagitium intentalset, objectam pro illa nubem complexus est, & Centauros semiferos genuit. Quo crimine etiam exultans, detrusus est in Tartarum, & rotæ,

Qq q 2

serpentibus